



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis S.Th. quondam Louanij Professoris Tractatus De Restrictionvm Mentalivm Abvsv

Malderen, Jan van

Antverpiæ

Capvt XI. Quando, licet non teneamur ex præcepto, tamen à Deo inclinemur ad abstinendum à restrictionibus mentalibus in colloquio cum proximo nostro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41105

76 IO. MALDERI TRACTATVS
liari diuerticulorum tam liberum esse vsum
vel potiùs abufum, nemo facile negauerit.
Itaque qui ob fua compendia ijs fibi vti lici-
tum putet, expendat priùs quanta difpendia
faciat boni communis; & inueniet malè fe
facere, quod bonum eſſe præſumpferat.

C A P V T X I.

*Quando, licet non teneamur ex præcepto,
tamen à Deo inclinemur ad abſtinendum
à reſtrictionibus mentalibus in colloquio
cum proximo noſtro.*

PRÆSTRUXIMVS huic Capitulo decifio-
nem in præcedentibus. Generatim ita-
que dicimus, tunc meliùs nos abſtinere à
reſtrictione mentali, quando ſilendo excu-
ſari poſſumus: vel ſimplici non reſtricto ſer-
mone vtendo non tanta incurrimus incom-
moda, vt propter ea vel tantillam ſimplici-
tatis iacturam facere æquum ſit. v. g. eſt ali-
quis vir grauis, rogatur ab eo num viderit
tale quid peccantem hunc aut illum: qui in-
terrogat, non id tamquam Iudex, neque ta-
men ex mera curioſitate inquirat; fieri poteſt
vt liceat circumuoluta mente negare ſe id
vidiſſe, intelligendo aliquid quod aliquo
modo etiam exteriùs ſignificatum conſide-
rari

rari possit. v.g. si dixerit alter, debes mihi dicere an hoc videris, potes dicere te non vidisse, nimirum sic vt dicere tenearis. Si tamen in commoda quæ peccatori aut alteri ex ea reuelatione timeantur, nulla sint; potiùs talis poterit, quàm præter morem suum restrictione mentali vtatur, simpliciter fateri quòd viderit: imò hoc magis virtus Veritatis suadet, nisi charitas læderetur, aut nisi silentio solo defungi apud amicum posset. In hac itaque materia prudens dicet, *Multa mihi licent, sed non omnia expediunt.* Est enim non parua iactura gravitatis (vt in superioribus attigi) venire in suspicionem quòd mentali artificio quis sua dicta saluare studeat. Euitet itaque hoc quantum potest, non tantùm fugiat quando debet. Suadet Christus Dominus sermone nos vti simplici, minimè fucato, & in ea sinceritate pueris assimilari, qui, vt loquitur Clemens Alexandrinus Pædagog. libro primo, vtuntur sermone virginali, tenero ac molli, ac fictioni non affini. Itaque si in hoc pueris similes efficiamur, sequemur monitionem Apostoli 1. ad Corinthios, cap. 14. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote.*

*Casus ubi
licitum sit
uti restri-
ctione men-
tali, melius
tamen sit
non uti.*